



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 71. Duodecim judicum Senatus ab Albæ Duce institutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

agendi ratio Gubernatrici horum omnium in sciã summopere displicebat, hinc Machiavellum in Hispaniam ablegabat ad Regem, obsecrans, ut sibi e Belgio discedere liceret; obtenta igitur facultate, atque imminutæ suæ auctoritatis reliquiis in Albæ Ducem translatis sese ad discessum parabat.

Sæcul XVI.
A.C. 1567.

§. LXX.

Auspicia Regiminis sub Albæ Duce.

Itaque Albæ Dux hac cessione potentior factus, atque ad Belgium pro summo imperio administrandum regia auctoritate firmatus, duodecim Judicum Senatum erexit, cui ipsemet præerat, ut eorum omnium, quæ præteritos tumultus concernebant, plena ibidem haberetur cognitio: equidem ab initio nonnulli Proceres Flandri, atque inter eos Arembergius, & Barlemontius saltem specietenus ad hunc Senatum vocabantur: verum hi nunquam comparuerunt, hinc iis Norcarmius subrogatus est.

Thu. l. 41.

u. 3.

Strada l. 6.

§. LXXI.

Duodecim Judicum Senatus ab Albæ Duce institutus.

Omnes hi Senatores erant aut Hispani, aut hujus Nationis studiosi, quorum nomina erant hæc: Joannes

Sæcul. XVI

A.C. 1567

*Stradal. 7.**Grotius An**nal. l. 2. p. 29**Thu. l. 41.*

Varga, & Ludovicus Delrio Hispani Jurisconsulti; Hadrianus Nicolaus Curia Geldrensis Cancellarius, Joannes Porta, Jacobus Hesselius, Joannes Blazerus Bosius Regius cognitor, ac Jacobus Torrensis Scriba. Horum jurisdictionis postea contra privilegia populorum, Curiarum auctoritatem, ac supremum Belgii Senatum in primis ab Albano Duce prorogata est, adempto etiam appellationum beneficio, & attributa plena eorum omnium cognitione, quæ ad Religionem, ac perduellionis crimen pertinent: porro istorum potestas ultra modum ampliata est, adeo, ut nullum ferme discrimen inter hunc Senatum, & Inquisitionis Hispanicæ Tribunal intercedere crederetur. Rebus ita dispositis Tornaci, Mechliniæ, Gandavi, & Antverpiæ complures in carceres sunt coniecti, & horum criminum postulati, ex quibus plurimi ad supplicium rapti sunt, tanto omnium odio, ut consilium non pacis, aut justitiæ, sed turbarum, ac sanguinis Tribunal vernacula lingua ad id voce composita (*) vulgo appellaretur.

(*) In lingua Belgica hoc iudicium vocabant: den Blustradt.